



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

Laberhittel, Samuel

Ingolstadii, 1660

141. Fer. 2. De corpore glorioso, impaßabili, & claro.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

Dominica 3. post Pascha. 245

cidius stellis, lunâ, sole: nam claritas Dei illuminat omnia, & lucerna ejus est agnus. Templum illius solus est Dominus Deus omnipotens, quò non intrabit aliquid coïnquinatum, nec abominationem faciens, nec mendacium: quia mundos corde, manu, ore requirit: qui scripti sunt in libro ... & Agni, illuc intrabunt, ut ab erget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum. Felices lacrymæ, quas benigna manus Conditoris absterget! Et mors ultra non erit in Patria viventium, non erit luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, quia prima abierunt vitæ mortalis mala, & venerunt bona omnia pariter cum gloria vitæ secundæ beatæ, de qua Ps. 87. Sicut letantium omnium habitatio est in ea Civitate multarum mansionum pro varietate meritorum.

Conf. 3. Cùm tota lætitia in habitatione cœlesti oriatur ex Deo totius felicitatis principio: idemque Deus sit in Eucharistia, sequar consilium Augustini dicens: in ps. 147. Famelici Dei esse debemus: quia ut idem ait in Psal. 17. In illa civitate erimus, ubi DEVS panis est.

MEDITATIO CXLI.

Feria 2. post Dom. 3. post Pascha.
De Corpore glorioso, impassibili, & claro.

L 3 Videbo

Videbo corpus gloriosum Angelis simile non quoad naturam, sed virtutem, & proprietatem: erit enim impassibile & clarum, quæ geminæ dotes illud reddent perfectum in esse suo. juxta Tertullianum: de Resurrect. cap. 26. *Caro nostra in calis erit Angelicata.* Petam has dotes magis intelligere, earumque fieri particeps.

Conf. 1. Vnam ex dotibus, quæ corpora in Resurrectione gloriosa perficiet, fore impassibilitatem. 1. ad Cor. 15. *Seminatur in corruptione. & surget in incorruptione.* Et impassibilitas, qualitas intrinsecè inhærens corpori Beati, per quam manebit incorruptibile, sicut coelum, & ambulabit per aquas, & ignem sine ullo nocumento, sicut Sol; decet enim Beatos, quorum animæ propter gratiam, & perennem visionem Dei vivunt vitam æternâ, & divinâ, ut habeant corpora impassibilia, immortalia, semperque viventia, in quibus deinceps non regnabit amplius peccatum. cujus poena, & stipendium est mors. Carebunt igitur omni genere morborum, omnique dispositione proximâ, propinquâ, remotâ quæ corp' vel levissimè posset afficere.

Conf. 2. Alteram dotem corporis gloriosi Claritatem. 1. ad Cor. 15. *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria;* decet enim corpora beata esse clarissima, & quàm lucidissima, & propol

Fer. 2. Dom. 3. post Pasch. 247

proportionata sint anima glorioſa, quæ lumine & pulchritudine divinâ dotata ſunt, habent itaque corpora Beatorum pulchritudinem & lucem respondentem gradibus gratiæ; & ſicut moritur vile corpus, ſic lu-minoſum ſurget luce internâ plenum, penetrante carnem, nervos, oſſa, licet opaca ſint, nec tantum erit lucidum, ſed etiam transparentis, diaphanum, & ſimul coloratû, ſicut eſt vitrum coloratum, quod ſimul habet colorem, & transparentiam.

Conf. 3. Si corpus erit glorioſius, quò in hac vita fuerit patientius; & ſi clarius, quò nunc fuerit vilius, quid me prohibere poſſit, ut propoſito tanto gaudio momentaneam tolerantiam, & contemptum non amplectar?

MEDITATIO CXLII.

Feria 3. post Dom. 3. post Pascha

De Corpore glorioſo, agili, & ſubtili.

Aſpiciam Corpus glorioſum, agile, & ſubtile, quibus duabus dotibus actiones corporis perficiuntur, ut anima ſit expedita ad operandum per illud, quidquid vult. Petam eas dotes intelligere, & conſequi.

Conf. 1. Tertiam dotem corporis glorioſi Agilitatem, quæ eſt qualitas motiva ſupernatura-

L 4 natura